

devote vovisset, reversa domum est et ita deinceps hubertate lactis huberibus cepit affluere, ut omnes, qui <eam> prius noverant lacte carentem, mirarentur postmodum lactis illam copia redundantem.

7. Alia quēdam puella tota prorsus facie tumens cum ad eius tumulum perrexisset et cereum caput^a instar sui capitis eo detulisset, meritis sancti viri mox pristinē est restituta saluti. Quod¹⁵⁷ cum percrebuisset^b et ad¹⁵⁸ aures vulgi fama mobilis attulisset, plurimę mulieres capitibus incommodo laborantes factis nichilominus de cera capitibus cum voto pergebant ad sancti corporis oratorium et protinus sanabantur. Inter quas cum nobilis quēdam matrona totas manus maculis quibusdam, quas vulgus serpiginem¹⁵⁹ nuncupat, haberet oppletas, et ipsa quoque cereas manus efficiens ad eandem basilicam devotissima detulit et priorum exemplo salutem presto recepit. Nonnullos^c quoque viros^d et mulieres necnon et pueros febricitantes^e osse brachii sancti viri, quod egregius comes Rothbertus ex industria reservaverat, aqua reverenter lavato eademque demum aqua fiducialiter ebibita celeri confestim remedio constat esse potitos.

8. Et hęc quidem circa pręsentes exhibens pius Christi confessor circa absentes quoque non minori gratia sanitarum se mirabilem est dignatus ostendere. Nam quidam vir eiusdem civitatis indigena cum haberet filiam apud Capuam, quę et dolore nimio et sono quodam maximo capitis egrotaret, accessit ad sancti viri basilicam eius suffragium pro filia precaturus rogavitque oratorii ipsius presbiterum, ut ad eiusdem sancti memoriam sacrificium deo dignaretur offerre pro filia. Factum est et die atque hora eadem salutem recepit.

Mir. c. 7. a) *korr. aus capitis.*
Nonnulli?); Nonnulli V.
e) *dahinter cum gestrichen.*

b) *so C.* c) *anscheinend korr. (aus*
d) *vielleicht korr. aus viri C; puri V; pueri B.*

157) 2. *Paral.* 31,5: Quod cum percrebuisset in auribus multitudinis.

158) *Petrus Damiani, Briefe (wie Anm. 149) 2, S. 97 Nr. 50: ad aures vulgi fama pertulit.*

159) Vgl. *Franciscus ARNALDI / Paschalis SMIRAGLIA, Latinitatis Italicae medii aevi ... lexicon imperfectum III-IV (1957-1964) S. 139; DU CANGE, Glossarium mediae et infimae latinitatis 7 (Neudruck 1954) S. 439; heute medizinischer Fachausdruck für Hautkrankheit; italienisch 'serpigine'.*